



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1581 usque ad annum 1589

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118650**

§. 101. Titulus trigesimus tertius de Visitationibus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67246)

in cuius manu sunt corda hominum, & Sæcul. XVI.  
 bonum, & idoneum pastorem populo suo A. C. 1584.  
 indulgeat: & supplicationes publicæ a ca-  
 pitulis indicantur, in quibus de necessitate  
 boni pastoris concio habeatur ad populum.

Episcopi autem admissi a Sanctissimo  
 Domino nostro Papa intra tres menses  
 consecrentur. Episcopi consecrati, quam  
 primum poterunt, Ecclesiam suam adeant.

§. CI.

*Titulus trigesimus tertius de Visi-  
 tationibus.*

In titulo trigesimo tertio de visitatio-  
 nibus Episcopalibus septem hi Cano-  
 nes notatu digni sunt: Canon I. Episcopi  
 quotannis visitent singulas Ecclesias sibi  
 subditas, & alias etiam exemptas, qua-  
 rum visitatio ex facultate a sacris Cano-  
 nibus tributa ipsis incumbit: quodsi unius  
 anni spatio perficere non poterunt, con-  
 tinuetur visitatio in sequentes annos.

Canon II. Verbum Dei prædicent  
 populo, aut prædicari curent, dum visi-  
 tant, ad animos hominum erroribus ex-  
 purgandos.

Canon III. Inquirant visitantes in  
 vitam, & mores, præsertim Ecclesiasti-  
 corum, ut eos corrigant.

Canon IV. Episcopi dum visitant  
 hospitalia, collegia & Scholas in primis  
 opera pietatis curent, executionem testa-  
 mento-



Sæcul. XVI. A.C. 1584. *mentorum, ac omnia, quæ ad Dei cultum, animarum salutem, & pauperum sustentationem pertinent.*

Canon V. *Archidiaconi, & alii inferiores, qui jus visitandi habent, acta visitationis suæ per scribam idoneum excipiant, eaque intra mensem ad Episcopum perferant.*

Canon VI. *Solvantur antiqua, aut consueta jura, cum visitationum, tum procurationum, Episcopis, Decanis, Capitulis, Archidiaconis, Archipresbyteris, & aliis, quibus debentur: & ad illorum præstationem omnes censuris Ecclesiasticis compellantur.*

Canon VII. *Jura Synodalia, Cathedralica, Episcopalia, & quævis alia antiqua, aut consueta, Ecclesiasticis, cujuscunque dignitatis, Ordinis, gradus & conditionis existant, integre persolvantur sub pœna excommunicationis: quam si neglexerint, extraordinarie puniantur.*

§. CII.

*Titulus XXXIV. De Canonicis, & Capitulis.*

**I**n titulo trigesimo quarto de Canonicis, & Capitulis duodecim leguntur Canones, in quorum primo dicitur: *Canonicos, qui ad hoc instituti sunt, ut exemplo Levitarum in Ecclesiis certis & frequentibus horis Deum orent, & ei laudes*